



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

VIII. Elogiam Origenis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

Socrus. lib.
6. cap. 11.

quod nonnulli perperam opinati sunt; sed imperium tenente Gallo, fato functum Origenem fuisse. Scribit Photius Cod. 118. narrare Pamphilum, aliosque complures, Origenis vitam & res gestas ex ijs ipsis qui hominem viderant persecutatos, in Deciana Strage martyrio ipsum vitam finivisse. Id refellit Photius, Galli & Volusiani temporibus decessisse hunc asserens; ex ejusque Epistolis post Decij mortem datis sententiam suam roborat. Infelicem miserabiliter perisse pronuntiat Nicephorus, levis Auctor, neque quid scribat satis pensi habens: inde adeo sic sentiens quod eum post idololatriam erroribus implicatum, in impietate diem clausisse crediderit. At contra Theotimus Tomitanus Episcopus, nota pietatis Antistes, præclara eum morte defunctum fuisse adversus Epiphanium asseveravit.

VIII. Atque hunc demum vitam finem habuit Origenes Adamantius, vir in Ecclesia Dei longe maximus; quem præter prosapiam avita in Christum pietate, & Leonida patris martyrio claram propria virtutes nobilitarunt; ingens martyrij desiderium, contestatus amor pudicitiae ac paupertatis, perpetua voluptatum contemptio, proluxa fidei Christianae propaganda voluntas, servandarum ab aeterno interitu animarum vehemens cupiditas, inusitata in laboribus constantia, singularis in periculis fortitudo, insignis adversum omnes mansuetudo & obsequentia, commemorabilis in magno splendore modestia, & rara morum sanctitudo: portentosa ad hæc ingenij vis, memoria expromta, quam & herbae cujusdam à se reperta usua auxisse fertur, minime licet assentiente Epiphanio, subtile iudicium, mirus in dicendo lepos, oratio ad persuadendum efficax, acris sæpe & vehemens, nec tam virtutibus ornandis facta quam carpendis vitijs, mirabilis humanarum, divinarumque rerum scientia, ut nemo esset primarum artium magis princeps. Nec fama meritis inferior; summa apud proceres gratia, par apud Ecclesiae principes auctoritas. Verum egregias vel à natura collatas, vel comparatas ab arte dotes obscurabant præceps quidam animi calor, neque satis considerata sacrarum literarum tractatio, & prope temerarium reconditorum ac supra mentis humane caput positorum Dei mysteriorum evolvendi studium; quibus vitijs parva virtutibus suis iam ante invidia causam in se erumpendi dedit. Exarsit in eum tota pene Ecclesia: calumniis vexatus, maledictis confixus, profectus scriptis, percussus anathematis, ab Ecclesia segregatus multorum Episcoporum suffragiis, patria denique ipsa dejectus est, homo mitis & injuriæ opportunus; ut non facile existimari possit, majorine hominum floruerit gratia, an odio flagaverit. Quisquis tamen ex veritate rem spectaverit, fatebitur dubio procul longe pluribus eum virtutibus enituisse quam vitijs, quæ tantquam navi aliqui eximio corpori, sic animo excellenti adhaerent.

Vern. in
Tosca. v. p.

IX. Sepultura affectus est Tyri; cujus sepulchri vestigia hodieque superesse prædicant, qui hæc loca lustrarunt. De salute Origenis disputationem à multis motam fuisse scio, quorum alij cælo pro meritis donatum credunt; alij contra, inter quos Georgius Syncellus, æternam animæ jacturam fecisse affirmant. Vana, & inanis quaestio, quam nos ad necessaria properantes ijs disceptandam relinquimus, qui tantum ingenio suo licere volunt. *Grandis labyrinthus, inquit barbare VVernerus VVestphalus, sed vere, à diversis texturæ de Samsone, Salomone, Trajano, & isto Origene. an videlicet salvati sint, annis: quæ quia sine periculo nesciuntur, nec etiam Ecclesia certificata est de his, Domino totaliter committenda sunt.*

Hieron. in
l. de script.
Eccles. in
Tyri. h. m.

X. Prodierunt à Schola Origenis viri pietate insignes & doctrina Plutarchus, Serenus, Heraclides, Heron, Serenus alter, Herais, & Basilides, acerbos cruciatus, & mortem denique ipsum Christi nomine perpassi: Heraclas item Plutarchi hujus frater, Origenis primum discipulus, tum in docendo socius, deinde successor, ac Episcopus demum Alexandrinus; Dionysius Alexandrinæ Ecclesiae post Heraclæ mortem Antistes, eruditione & scriptis longe celeberrimus; Gregorius ille à miraculis cognomen adeptus, Neocæsariensis Episcopus, qui aequalibus suis omnibus Origenem ætate jam affectum in familiaritate anteposuit; Athenodorus Gregorij frater; Tryphon rara Scripturæ peritia illustris, cujus & nonnullas ad Origenem Epistolas suis temporibus extitisse tradit Hieronymus; Firmilianus Cæsariensis in Cappadocia præsul, Origeni sic deditus, ut ejus conveniendi causa patria relicta longum ac difficile iter constitueret. Annumeranda his quoque Barbara Nicomediensis virgo, genere nobilis, eruditione clara, ab Origene primum per epistolas & Valentinum Presbyterum ad eam missum ab Ethnicorum superstitione revocata, & Christi mysterijs instituta, ac tandem in Maximini persecutione savissime excruciatæ, & securi percussa. Tum autem ex Origenis epistolis Christi fidem hausit, postquam Presbyterij dignitate auctus Alexandriam ex Achaia reversus est. Ab eo quippe jam Presbytero Alexandria data est ad ipsam Epistola, quæ in ejus Acta inserta est. Potamiænam virginem nobilissimo martyrio claræ inter Origenis discipulas Rufinus & Nicephorus recensent: sed fucum ijs fecit Eusebij locus non satis attente perspectus, ubi in hanc seriem disertis verbis septimus, refertur Basilides; de Potamiæna vero talis nulla apud eum suspicio est. Quo magis